

9

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE
MEDICINA SIMPLICISSIMA
SVMMAE EFFICACIAE

QVAM
DIVINIS AVSPICIIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA,
GRATIOSO FACVLTATIS MEDICAE CONSENSV,
PRAESIDE
DN. FRIDERICO HOFFMANNO
ORDINIS MEDICI SENIORE & h. t. DECANO

PRO DOCTORIS GRADV
LEGITIME IMPETRANDO
Ad d. Martii Anno MDCCXXXI.

Publicæ eruditorum disquisitioni exhibet
LVCAS THEODORVS PYL
STRALSVNDENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE
Typis JOH. CHRISTIANI HILLIGERI. Acad. Typogr.

PLATINUS DE PLATINA MEDICIS
MEDICINA SIMPLICISSIMA

SUMMAE PHRAGMATICAE

QUINTUS DIANUS AVSPICIIS
IN ACADEMIA TRIVENETA
GRATIOSO TACITATATE MEDICAE CONSENSU
PRAESIDER

DI FRANCESCO HORTIANO
GORDINIUS MEDICI SENIORIS & DECANO

PRO DOCTORI ERADA
PRO FORTUNA MATERIA

PRO CURIOSITATE ET DILECTIONE CHYPERAE

LUCAS THEODORAS PIL
PRO STAVRONIPSIS

HIERONIMUS HILLIGER. VENET. LIBRARIUS
ALIAS CHRISTIANUS HILLIGER. VENET. LIBRARIUS

VIRO.

PLVRIMVM. REVERENDO. AMPLIS-
SIMO. ATQVE. DOCTISSIMO.

DOMINO.

M.PAVLO.
REHFELD.

ARCHI - DIACONO. AD. ÆDEM. S. NICOLAI,
QVÆ. SVNDII. EST.

FIDELISSIMO. MERITISSIMO.

FAVTORI. PARENTIS. LOCO.
PIO. ANIMI. ADFECTV. COLENDO.

DISSERTATIONEM. HANC. IN AVGVRALEM.
CVM. VOTO.

PROSPERITATIS. OMNIGENÆ.
GRATIÆQVE. DIVINÆ.
SACRAM. FACIT.
AVCTOR.

AIR.

PIARUM. REAERENDO. AMPIT.
SIMO. ALIOAE DECISIMO.

DOMINO.

M. PAVLIO.
REHELD.

VRCH. DIVGENO. VD. EDW. 2. NICOLAI
QAK. SABDI. ERL.

EDITSIMO. MERTISSIMO.
TUTORI FVRBNTIS LOCO.
IO. ANNI. ADICIA. COLINDO.

DIESSESTATIONEM HNC. INAGVRLEM

QV. 100.

PROSPERITATE OMNIGENAE

GRATIAQUE DIVINAE

SACRA. LEGIT.

ACTOR



DISSE^TRAT^O IN AVGVRALIS.
DE
**MEDICINA SIMPLICISSIMA
SVMMÆ EFFICACIÆ.**

PROOEMIVM.



Vemadmodum natura, sapi-
entissimum Altissimi DEI opifi-
cium, in admirandis suis quas
præstat operationibus, non va-
ria, non diffusa, sed simplex est,
sive facili, simplici & compen-
diosa via, ratione ac methodo,
in univerlo systemate, effectus & phœnomena sèpius
stupenda producit; ita, artificiosissimam corporis
humani mechanicam, saluberissimum illud vitæ, sani-
tatis,

tatis, atque depellendi morbos negotium, eadem facili & simplici methodo administrare, quibus interiora naturæ & artis Medicæ, paulo accuratius, inspirere & perspicere integrum est philosophi, unanimiter utique confiteri tenentur. Hanc demum corporis nostri machinam, ex elateribus & tubulis variis generis, summa & divina arte sapientissime exstructam, ratione mixtionis vero ad extremam corruptibilitatem pronam, solo & unico motu sanguinis progressivo, debitissimis rerum heterogenearum, per emunctoria convenientia, excretionibus, ab omni corruptione vindicari, quid, quæso, potest esse simplicius, quid unquam compendiosius? Denique ipsum illum progressivum in orbem abeuntem fluidorum motum, solo & simplicissimo systoles & diastoles solidorum elasticò motu sustineri, id etiam est, quod omnes solertiores naturæ indagatores in admirationem profundissimam abripit. Sicuti autem non tam multiplices multumque inter se dissidentes, sed per paucas afflictionum morbificarum esse causas, quæ non semper tam natura differunt, quam pro locorum quibus insident diversitate corporis sani & integri functiones varie laedunt & labefactant, saniori pathologiæ qui addiscendæ operam dederunt, non ignorant; ita ad morbos depulsandos, non tam ingenti medicamentorum copia, sed paucioribus saltim ac simplicioribus opus esse remediis in proposito est: cuius rei veritatem, pauperes & plebeji, non pretiosis, sed solis

solis domesticis a morbo convalescentes, luculenter dant evictam. Quinimo antiquissimis temporibus, Medicinam tantum paucarum herbarum fuisse, Celsi testimonio, in principio statim operis sui, proditum ac confirmatum habemus. Mirum igitur, nec profecto sapientior quisque admirari satis, quin credere vix poterit, quo fatu & infasto sidere factum sit, ut ars hæc salutaris & simplicissima, nostris temporibus, tam immensa medicamentorum compositorum, ex variis etiam diffissimis regnis advectorum, pretiosissimorum, omni arte vel paratorum aut excogitatorum mole ac farragine laboret, ut fere omnem exsuperet numerum; quorum, tot libri practici, pharmaceutici, botanici, omniumque fere regionum, urbium quoque præcipuarum dispensatoria, testes præbent locupletissimos. Digna sane sunt, ut animadvertantur, quæ in limine præfationis laudatus jam CELSVS proposuit, hisce verbis: *multiplex Medicina, neque olim, neque apud alias gentes necessaria, vix aliquot ex nobis ad senectutis principia perducit.* Et ipse HIPPOCRATES lib. de vita acutor: *mox sub initio,* valde laudat eos, qui paucis numero, bonis, & quæ morbo convenient, usi sunt medicamentis. Neque ad hujus veritatis dilucidationem, egregium illum ex PLINIO locum, quem adducit probatissimus ille scriptor JOH. LANGIVS in epist. prætermittendum, quin potius in medium proferendum existimat, lib. XXIV, c. 1. his extantem: *Ex terra nascientibus natura medi-*

medicina. Hæc sola naturæ placuerat esse remedia , paratu vulgo , inventu facilia , ac sine impendio ex quibus vivimus . Postea fraudes hominum & ingeniorum capture officinas invenere istas , in quibus sua cuique venalis promittitur vita . Statim compositiones & mixture inexplicabiles decantantur , Arabia atque India in medio & stimantur , ulcerique paruo , medicina a rubro mari importatur ; cum remedia vera pauperrimus quisque cœnet : Quadrathuc egregie DAMASCENI quod prodidit prudens confilium , aph. 34. Pharmaca pauca tibi tenenda sunt , quorum operationes & potestates jam multoties expertus es . Totius enim multitudo notitia incomprehensibilis est , ac cum per singulas vuleris inquirendo discurrere , multiplici diversitate distentus , nescies , cui debeas fidem adhibere . Evidem si quid ego judicare , sententiamque meam ex animo dicere debo , artem nostram , cui utique divinæ laudes habendæ , si ad alteriorem perfectionis gradum perducendam velimus , inter maxima obſtagula , hoc palmarium removendum esse duco , ut tam innumerabilium compositionum , maxima ex parte ineptissimorum & natura pugnantibus ex ingredientibus concinnatarum , tam Galenicarum quam Chymicarum penitus in exilium exacta mole ; tutis , naturæ amicis , paucis & selectis , efficacibus tamen , plus simplicibus quam compositis , in Medicina , cum ad corpora a morbis vindicanda , tum ad sanitatem amissam restituendam morbosq; vincendos demum uti incipiamus remediis : quippe perpaucis & selectis horum generibus , conveni-

venienti methodo usurpati, & olim & nunc, præstantissimos Medicorum, famam ac summam medendo celebritatem naçtos, fuisse usos, vitas & aëta eorum inspicio cognoscimus. Ego vero, cum specimen eruditionis publicum edendum sit, pernobile hoc & utilissimum argumentum mihi pertractandum proposui: rebus nimirum simplicissimis citra magnam artem & laborem conquisitis, quotidianis, diæteticis & quibus semper natura ad conservandum opus habet, tantam cum in morbis arcendis, tum sanandis, a sapientissimo Numine, inditam esse virtutem, ut sepius his solis tutissime fidere, & sine alio magno Medicamentorum apparatu, Medici officium completere possimus exactissime. Quibus nostris conatibus, ut DEVS ex alto sua gratia assistat, humillime precamur.

§. I.

HIPOCRATES antiquissimus ille & re vera optimus disciplinæ mediceæ Praeceptor ac Parens, uti omnia fere, quæ in monumentis immortali memoria dignis prodidit, summam in arte peritiam atque in observando soleritatem spirant ac declarant; ita observatu dignissimus est locus, qui primo statim libro, de arte §. V. in conspectum venit, ita habens: *Multi ægri etiam citra Medicorum opem sanantur & sunt sanati, videtur autem, ut & qui Medicis non usi sunt in medicinam inciderint, per quam servati*

B

Servati sunt; aut enim , pergit §. VI. inedia, aut copioso cibo, aut uberiori potu, aut siti, aut balneis, aut laboribus, aut quiete, aut somno, & vigilia convaluerunt. Quo prælustri loco , venerabilis Senex, complures ægrotantium, citra opem Medicorum, citra peculiarem medicamentorum apparatus, remediis familiaribus convalescere posse luculenter testatur. Hæc vero , non alia sunt, quam quæ classis rerum a Galeno sic dictarum non naturalium , five quibus homo ad sustentandam vitam & valetudinem carere nequit, complebitur, ut sunt: inedia, five abstinentia a cibis, victus largior, uberior potus, siti , balnea, labor five corporis motus & exercitatio , quies denique & somnus. Quibus gravissimus Auctor, magnam tam ad morbos præservandos , quam sanandos , vim atque potestatem , si quis recte iis utatur, attribuit. Nam uti §. VII. subiicit , quæ ex hisce rebus profuerunt, ob relictum usum profuerunt, que vero nocuerunt, ob id, quod non recte usurpata sunt, nocuerunt. Sane, sapientissimum hoc & magni in praxi medica momenti assertum , paulo accuratiorem , quam quisque putaverit attentionem & diffusiorem illustrationem meretur. Atque in hoc etiam nostra jam erit meditatio intenta, noster labor defixus, ut quæ & quanta inhæreat rebus hisce, quæ in vita habentur familiares ac domesticæ, & juvandi & medendi virtus, omnibus subinde aliis medicamentis superior, appareat quam clarissime.

§. II.

Ex dictis igitur diæticis nunc modo recensitis remediis , labor five motus & exercitatio corporis, merito nobis primum differendi locum , quantum scilicet inde utilitatis, cum ad sanitatem conservandam, tum morbosas afflictiones avertendas propullulet, suppeditare videtur. In limine vero hujus disquisitionis statim monendum esse duximus : inter omnis generis remedia five diæterica, five pharmaceutica quibus in medendo utimur, nullum dati, cui, vel sanitatem conservandi, vel amissam restituendi viam ab eorum natura absolute dependentem assignemus, sed tantum, relatione facta ad corporis humani naturam, eorum virtutes æstimandas venire ; quare non sine ratione cum ipso HIPPOCRATE statuimus : *naturam optimam morborum esse medicatricem*, insuper addimus, vitæ & sanitatis conservatricem, a morbis præservatricem & præcipuam remediorum operatricem. Per naturam vero corporis humani, quæ fundatum ac principium, juxta laudatum Senem, omnis sermonis live demonstrationis medicæ est ; nihil aliud, quam œconomiam motuum vitalium, progressivi vi-delicit, combinatorii, secretorii & excretorii, in machina mere hydraulica , five ex tubulis diversissimi generis, vi elæstica contractili & distractili donatis composita, intellectum volumus ; qui solidorum & fluidorum motus, si recte, & secundum leges æqualitatis, five temperamenti se habent, omnes functiones quas par-

B 2

tes

tes corporis nostri exercent, secundum regulam fiunt, & non modo vita, sed & integritas corporis & animi conservatur. Hos motus attente observare, siue a proportione & symmetria abeunt, & nimii evadunt, vel etiam vacillant variis ex causis, & deficiunt, idoneis remediis in ordinem & moderationem reducere, unicum & vere præcipuum Medici esse officium recte judicatur. Quam mirabilem vero hoc nomine & genere, res supra ab Hippocrate recensitæ, motus machinæ nostræ ab ordine & regula deflectentes, in ipsam moderationem & æquabilitatem redigeré, potentiam habeant, & inter eas maxime motus, id nunc paulo presius declarabimus.

§. III.

Complures ex desidi, otiosa & laboris experte vita, praesertim si paulo pleniori vieti utantur, inque primis sub celo inclementiori, inordinata animi perturbatione & ex neglecta venæ sectione, in difficiles diuturnas & obsfirmatas ægritudines incidere; cuius generis quam maxime sunt pathemata spasmodico-flatulenta, hypochondriaca, colica, hysterica, item scorbutum, cachexia, nimia hæmorrhagiæ, lenta febres & cutis desœdationes, immanes etiam dolores qui saepe numero quoque ex calculo proveniunt, experientia quotidiana obvium & compertissimum est. Quos omnes dictos affectus, a nimis tardo, lento & difficili sanguinis & humorum circulo ac progressu, & exinde impeditiori facta fluidorum utilium sequestratio-

ne,

ne, humorumque vitalium, per excretionem inutilium depuratione, causam & ortum repetere, identidem, qui puriori pathologiæ præceptis instructi sunt Medicis, non potest non esse notissimum. Solus vero conveniens corporis ejusque partium motus & exercitatio, eo præ aliis gaudet beneficij genere, ut æquabili & plane naturali, sive naturæ amico modo labascentem & deficientem solidorum & fluidorum motum excitet & hac ratione saluberrimas & valetudini conservandæ necessarias secretiones & excretiones, eam præfertim, quæ fit per illud fere catholicum cutis emunctoritum promoveat, atque adeo diætas chronicas passiones, quæ omnes a stasis, stagnationibus, infarctibus viscerum & nimiis ad certa loca sanguinis congestionibus pronascuntur, non modo feliciter avertat, sed & præsentes efficacissime vincat atque expugnet.

§. IV.

Sunt quidem nobis, ex remediorum maxime diaphoreticorum, sudoriferorum, confortantium ac spirituorum classe, multa in promtu, quæ etiam cordis & arteriarum motum augendo, circularem sanguinis & humorum progressivum motum, neque minus ab eo dependentes secretiones & excretiones adiuvant; sed non æque tam secura, tam facili, tam æquabili & naturæ amica ratione, ac ipse motus & corporis exercitatio, id præstant. Nam hic sine violentia, sine addita interne humoribus quadam materia præca-

B 3

lida

lida æstuante, salino-sulphureo-volatili, orgastica, qua pollent sudorifera operationem suam, citra virium jacturam exerit placidissime. Deinceps id peculiare & eximium habet motus remedium, præ dia-phoreticis & sudoriferis, quod in arbitrio nostro possum sit, virtutem hujus remedii, pro rei natura & circumstantiarum ratione minuere, temperare atque intendere, quod a medicamentis intus summis, quorum operatio non est in nostra potestate, nequit exceptari. Præterea etiam ob id, motus corporis, cum aliis de prærogativa contendere potest, quod præter evacuationes, vires & robur, corpori non fecus ac animo addat, appetitum emortuum resuscitet, languorem erigit & digestionem vacillantem confirmet, blande videlicet spirituascentiam sanguinis & humorum promovendo; id quod a plurimis aliis medicamentis, usu familiaribus, sperare nemo unquam poterit.

§. V.

Habemus hac in re, quam maxime, experientiam & auctoritatem veterum Medicorum suffragantem, qui tanta medicamentorum compositorum & igne chymico excoctorum, quæ nostra ætate, in pharmacopoliis conspicitur, carebant quidem; sed, re vera, ejusmodi diæticis, inter quæ primas corporis motus & exercitatio tenet, plus certe, si ingenuæ veritatem fateri licet, in Medicina præstabant, quam nostri temporis Medici, innumeris suis pharmacis. Quot autem modos & species motuum, ad tuendam

& re-

& reparandam, pro cuiusvis corporis natura & statu, valetudinem excogitaverint, id quam optime, ex eleganti illo libro, quem doctissimus Medicorum MERCVRIALIS, ex veterum consignavit monumentis, & *artis gymnastice* nomine insignivit, conspicitur. Potiora nos jam, inter innumera ex veterum probatissimorum Medicorum scriptis adducere volumus loca, ut hinc incomparabilis hujus remedii efficacia, ejus laus & encomium abunde elueat. HIPPOCRATES enim lib. I. de diæta aperte scribit: *Homo edens sanguis esse non potest, nisi etiam laboret;* & in eodem libro, ceu regulam sanitatis universalem inculcat: *mensuram mortuum pro mensura ciborum semper esse astimandum.* Neque hujus asserti ratio, intellectu difficilis est; quodcunque enim corpori ingeritur, eadem fere mensura, si istud non amplius augeatur, per evacuationes debet egeri, quas vero motus corporis convenienter institutus, præ aliis omnibus, egregie promovet ac moderatur. Spectant hue verba GALENI, quæ, *commentario, in hunc aphorismum,* habet: *Exercitatio omnium vitiorum, qui in corporis profundo sunt, humorum purgationem supplet.* Cui sententia calculum addit AVICENNA lib. I. F. E. N. c. I. his verbis: *Possent homines, si debito tempore, exercitio ac labore uterentur, omnibus Medicis ac Medicamentis carere.* Intellige venæctione, purgantibus, sudoriferis, diaphoreticis, aperientibus, incidentibus, attenuantibus; quippe horum virtus omnis, motui inest.

§. VI.

§. VI.

Consideratione porro dignissimum est, quod præter evacuantem, laudatum nostrum remedium, roborantem quoque virtutem possideat. Partibus enim imbecilibus, ipso HIPPOCRATE teste, tam internis quam externis robur adjicit. Hinc *Sedione* IV. aph. 71. laborem articulis & carnibus cibum esse prodidit: & lib. de diæta §. 38. perhibet: *laborem siccare & corpus robustum facere.* Nec non lib. I. de diæta §. 40. *deambulationem & alvum, & corpus, & ventrem siccare ac firmare,* affirmit; lib. II. de diæt. autem *in nimiis alvi flatibus, eam commendat.* Cui gravissimo Auctori nostro adstipulatur PLVTARCHVS Oper. Tom. II. p. 130. ita eloquens: *usus sermones quotidianus, mirum dictu, quam utile sit genus exercitationis, non ad sanitatem duntaxat, sed etiam ad vires reparandas:* & CELSVS lib. I. cap. 8. & passim in suis operibus, claram vocem in stomachi virtus, qui videlicet in ejus resolutione consistunt, magnopere commendat. Et profecto laudem suam, eximium hoc motus remedium, quo probatissimi viri & Medici illud affecerunt, suo jure meretur, ut etiam quasi medicinam universalem præservatoriam & curatorialiam ipsi inesse recte putaverint. Hinc gravissimus ille Auctor & Philosophus, VERVLAMIVS lib. IV. de augm. scient. c. I. ita differit: *vix aliquem in morbum inclinationem inveniri, qua non exercitatione quadam propria corrigi possit.* Et PECHLINVS, lib. obs. 34. haec habet; *Nulla corpora in ratis minus obnoxia reperies, quam eorum,*

eorum, quæ a prima statim infantia, motu gladiatorio, palaestrico, firmitatem sibi contraxerunt, viriumque robur, quoꝝ quum in seram etatem extendant, immunitatem sibi a morbis procurant; quod infinitis obviis est exemplis.

§. VII.

Inter omnes vero motus species, equitationi primum concedendum esse locum, & sanâ medica ratio dicitat, & ipsa experientia confirmat. Siquidem, totius corporis tam internas & externas partes, æquabili succussione afficit, & motum ac circulum sanguinis, in primis per mesenterium & viscera abdominis, qui ordinario fere difficultis est, procurando, mesenteri glandulas referando, tonumque viscerum & stomachi roborando, in malo sic dicto hypochondriaco, hysterico, cachexia, hydrope, ac febris lenti mirabilis sane opem præstat. Primus fere omnium, ORIBASIVS, magnas sanandi partes equitationi tribuit, quod vel sequentia loça indicant: lib. IV. enim c. 24. hæc perhibet: *Equitatio magis, quam omnes reliquæ exercitationes corpus præseruat, stomachum & sensuum organa confirmat, eaque reddit acutiora.* Et, in capite de equitatione, ita scribit: *Si vehementer impellatur equus, quamvis totum corpus laboriose concutiat, tamen aliquid utilitatis afferit; siquidem magis, quam omnes aliae exercitationes, corpus & præsertim stomachum firmat.* Ex recentioribus vero nemo rectius de equitatione, ejusque in medendo viribus, ipso SYDENHAMIO differuit: hinc in Oper. pag. 476. in malo hypochondriaco, & passione hyste-

C

hysterica, non satis laudare ejus usum potest. Meminit enim sacerdotis malo hypochondriaco vehementer correpti, qui sine alio pharmaco, sola equitatione pristinum acquisivit vigorem, & *ibid.* hæc refert: *multi mihi sanguine junci, tabidi & phthisici, multum terrarum, equo vectore, peragrantes, ex meo consilio, sanitati sunt restituti, medicamentis aliis frustra adhibitis.*

§. VIII.

Verum enim vero, cum nullum, etiam efficacissimum & tutissimum, si quis eo recte utatur, remedium sit, quod non præpostero ejus usu, plus noxæ quam levaminis afferre possit: ita etiam id ipsum, de exercitio corporis, si imprudenter suscipiatur, tenendum esse animadvertisimus. Nam plura nobis, intra aliquot annos, innotuerunt exempla, ubi valde imbecillis hominibus, hec̄tica & phthisi laborantibus, vel quorum, a morbo præcedente, vires & humores vitales penitus exhausti & consumti fuerunt, fortior motus, lignorum videlicet cum serra scissio, ac sectio, impudore fuit commendatus, quos dein in animi deliquium, quod brevi exceptit mors, collapsos fuisse perspeximus: motus enim paulo fortior, licet vires restauret, eas tamen adhuc sufficienes, licet quodammodo suppressas requirit. Quin, varia dantur motuum genera, quorum quædam sunt fortiora, ut cursus, venatio, pilæ lusus, armorum & palæstrica exercitia; quædam mediae naturæ, ut ascensus scalarum, vectura in curru, equitatio paulo validior; quædam sunt

funt leviora, ut equitatio lenta, lectica, deambulatio, frictio, vox clara. Quas diversas motuum species, pro virium mensura, proportione, & corporum robore, vel debilitate, circumspectum oportet Medicum ordinare & praescribere. Quod discrimen & observationem, ipsos veteres, inque primis HIPPOCRATEM animadvertisse, video: nam, lib. de intern. affect. Sect. 33. splenetico aegro, si validus fuerit, per tres dies, ut ad ligna secunda cogatur, consulit. Et libro cit. §. 28. Si potens est cachecticus, inquit, ludetur summis humeris & labore per circuitus multos in die. Et CORNEL. CELSVS lib. I. cap. 2. dum ad valetudinem integrum servandam, varia motus genera commendat, inter haec ascensus quoque & descensus mentionem injicit; nimurum quia quadam varietate, ut inquit, corpus movere; addit: nisi corpus perquam imbecillum est.

§. IX.

Præterea & certum tempus, si quis exercitatio ne, præsertim paulo fortiori, pro remedio uti velit, observare convenient. Nam, nec mox ante cibum, nec mox post eum sumptum utilis est, quia concoctionis opus inde perturbatur; sed commodissime absoluta concoctione, matutino tempore, hora quarta vel quinta a cibo, instituitur. Juxta HIPPOCRATIS enim effatum: Deambulationes matutinae extenuant, & quæ circa caput sunt, levia agilia & prompta efficiunt, aliumque slidunt. vid. lib. Evidem. VI. Sect. 4. Siquidem peracta concoctione ciborum in primis viis, & succi chylosi distribu-

stributione per totius corporis venas facta, perfpiratio sive excretio inutilis, qui per cutem fit, humoris, longe promptior, longe liberior atque expeditior reddi, & motu quam facile augeri potest. Demum si quis exercitationis remedio recte uti velit, & hoc servandum esse monitum arbitor, ut, pro cuiusvis laborantis corporis & morbi natura, determinatus & proportionatus modus & mensura, in eo prescribatur. Si virium satis est, in obsfirmata chronica passione, diutius corporis labori & exercitationi est insitendum. Novimus melancholia hypochondriaca ad furorem usque affectos, peregrinatione facta, per pedes, viginti imo trigesita milliarium fuisse sanitati mentis & corporis redditos. Novimus etiam lenta equitatione, ter vel quater de die per dimidium horæ facta, duorum mensium spatio, atrophia & lenita febre extenuata corpora integre restituta.

§. X.

Præter motum & corporis exercitationem HIPPOCRATES, superius citato loco, ad valitudinem conservandam & amissam, sine Medicorum vel potius medicamentorum usu, restituendam, plurimum inediæ tribuit. Neque id assertum, clarissimis rationibus & indubia experientia destituitur: nimia enim edend. intemperantia sive ciborum in-gluvie, complures & valde difficiles ac diuturnas passiones, inter quas hysteria & hypochondriaca primas merito tenet, cum suis quæ ipsam comitantur

tur & excipiunt pathematibus ; item , quæ ex nimia sanguinis vel succorum pravorum abundantia nascuntur morbi , progigni compertissimum est . Recidivæ quæ post febres intermittentes sanatas frequentissime sunt , vix aliis causis , ac vegetiori appetitu largiorique cibo sumto , præsertim si accedit ex frigido & ex septentrione spirante aëre , prohibita transpiratio , debentur . Cachexiam , hydrozem , scorbutum & morbos capitis , affectus foporosos , ac paralyses , & sanguinis & succorum , ob nimiam voracitatem in vasis congestorum copia , ceu genuina & proxima causa proficisci , rationali pathologicæ & therapiæ dediti quam optime noverunt .

§. XI.

Profecto nullum corpus , plus morbis obnoxium , difficiliorisque sanationis est , quam copiosis & impuris succis repletum ; adeoque peritissime , CELSVS lib. I. c. I. scribit : *corpora , que more athletarum repleta sunt , cellerrime & senescunt & egrotant.* Neque deficit ratio : nam , quando supra modum , ac vis ventriculi & intestinorum motrix & peristaltica concoctionem maxime adiuvans , ferre & subigere potest , cibus ingeritur , multæ emergunt cruditates , atque magna humorum vitiosorum colluvies , quæ primis viis inhærens , ructus , flatus , borborygmos , inflationes , hypochondriorum tensiones , alvi constipations & interdum nimias fluxiones suscitat , ingignitur . Quanta autem mala & damna , ex vitiis primæ digestionis

C 3

ditionis

stionis, in viscera reliqua corporis redundant, & quam graviter inde omnium partium functiones lœdantur, nemo rectius, quam Medicus sanioribus philosophia rationalis dogmatibus instructus, pernoscit.

§. XII.

Quamvis vero major cibi copia probe concocta fuerit, in corpore scilicet firmo & robusto, nihil tamen secus nimia succi chylosi, & quæ ex eo producitur sanguinis exuperantia, sive plethora, ad multas & graves affectiones sternit viam amplissimam, in quo, etiam veterum constans & unanimis semper stetit sententia. Ratio quoque est in procinctu: nam nimia humorum copia resistendo, vim cordis, arteriarum, aliorumque tubolorum motricem, systalticam, elasticam, quæ regit in tota machina vitales motus, progressivum & circularem, quo utilia retinentur, inutilia excernuntur, minuit ac labefat, quo inde in laxioribus & imbecillioribus, inferioribus præsertim, & multum remotis a corde partibus, inque vasibus maxime venosis, stagnationes, humorum decubitus, infarctus, obstrunctiones, corrupções, & impetuosa etiam interdum ad removendas eas, a provida natura, cum fortiori strictura & spasmus institutæ motiones proveniunt; quæ omnia, totam œconomiam animalem perturbant.

§. XIII.

Quum vero hæc innumera fere mala, primam suam a nimia ciborum appetentia, victu pleno & largo,

go ducant & trahant originem ; quantum utilitatis & salubritatis ad ea avertenda & sananda, in parco & tenui vietu, abstinentia per aliquot dies a cibo, sive inedia repositum sit, quisque clara & lana ratione instructus, quam facile poterit intelligere. Quapropter, non sine, sed certe, cum magna & fundata ratione, Medicorum antiquissimi & optimi scriptores ad custodiendam vitam & sanitatem, morbosque avertendos id remedii non satis laudare & commendare possunt.

§. XIV.

In confirmationem hujus, placet saltim pauca adferre testimonia. Ita HIPPOCRATES, lib. de morb. it. VI. Epidem. aperte scribit: *sanitatis studium, non satiari cibis.* Et alibi: *nihil magis ad sanitatem facit, quam non satiari cibis. Et impigrum esse ad labores.* Item: *si quis pauca edat nullum morbum experietur.* Et libr. de præca Medic. ita fatur: *fames plurimum potest in hominum natura, ad sanitatem.* Eadem pariter est CELSI sententia lib. II. cap. 16. hæc tradentis: *non ullares magis adjuvat labrantem, quam tempestiva abstinentia: addit, intemperantes homines apud nos, sibi cibi tempora, modum curantibus dant.* Sic PLINIVS lib. XVIII. cap. 5. Longe utilissimam esse ad sanitatis conservationem, in cibis temperantiam affirmat. *Vt enim, inquit, tempestiva abstinentia, summas in secunda valetudine partes sibi vindicat: ita quoque in adversa plurimum momenti obtinet; sanat enim plenitudinem, nimirum obesos, pituitosos, vitiisque expiruita nata,*

nata, apoplexiā, epilepsiam, comata, vertigines. *S*ic id genus alia. Et SENECA, lib. I. epist. 93. hæc habet. notatu digna: Antiqui Medici nesciebant cibum dare sepius, *S*ic vino fulcire venas cadentes; itaque nil erat opus, tam magna Medicorum suppellebile, nec tot ferramentis *S*ic pyxidibus, Philosophi Plato, Zeno, Socrates simplici viœtu, tenuique diæta consensercebant. De quibus PORPHYRIVS lib. IV. de abstinentia, testatur: quod carnibus abstinerint, sponte ex terra crescentibus contenti; atque ita summa illorum vita fuerit cum sanitate. Et PLATO in Charmide, temperantiam viœ custodem appellat.

§. XV.

Neque nobis defunt literarum monumentis inscripta exempla, virorum qui a prima ætate valetudinarii fuerunt, & sine ulla medicamentorum ope, parciori viœtu, moderata diæta, & abstinentia ab omni repletione potus & cibi, egregie valuerunt, & ad octuagesimum, imo nonagessimum & ultra annum, sub vigore mentis & corporis vitam produxerunt. Nam utri doctissime scribit FERNELIUS lib. I. de morb. cauf. pag. 210. Inedia ac parcior *S*ic tenuior viœtus, corpus pervium patensque reddit, obstrukções expedit, flatus, alvi fæces, urinas, cerebri, omniumque partium excrementa movet *S*ic excludit; atque, si impurum corpus vittioso humore perfunditur, cruditates concoquit *S*ic emendat, tenues *S*ic inutiles humores exaurit aut halitu dissipat, crassos vero *S*ic cuique parti tensius inhærentes proritat atque movet. Ita abstinentia & inedia tanta inest vis medicinalis, ut non modo

modo in vitiis stomachi omnibus fere, in quibus eam CELSVS lib. IV. pag. 217. commendat, colluviem crudorum humorum absumente calorem & tonum deficientem restituat, sed & copiam seri impuri in reliquis corporis partibus evacuando solidorumque tonum ac elaterem restituendo, iis affectibus, qui ex nimia seri proveniunt abundantia medeatut atque occurrat insignissime. Quadrat hinc pulcherrime apb. 59. Sect. VII. HIPPOCRATIS, ita habens: corporibus prehumida carne praeditis fames commenda est, qua exsiccat corpora. HEVRNIVS in hunc locum addit: quia sensim & equaliter totum corpus exsiccat,

§. XVI.

Ex hisce igitur dictis & adductis facile jam intelligi posse arbitror, quare in morbis capitis gravioribus, ut sunt: paralyysis, affectus soporosi, melancholia, incubus, epilepsia, veteres inque primis CELSVS imo HIPPOCRATES lib. popul. VII. p. 858. exercitium corporis & abstinentiam a carnibus presertim pinguibus, a vino etiam, maximopere commendarint. Qui idem auctores in morbo cacheotico, icterico inque omnis generis cutis vitiis, ulceribus, scabie, elephantiasi, cibum paucum sine pinguibus, sine glutinosis, sine inflantibus, item aliquot dierum inediari ac sudorem per laborem corporis, praे omnibus aliis remediorum generibus mirifice extollunt. Vide sis CELSVI lib. III. cap. 25. Et THEOPHRASTVS lib. V. philos, auctor est: abstinentiam

D

DFG

nequitiam rationis usum reddere, quia multum edere est carnisbus vesci eum adimit, animosque efficit tardiores, & eos immanni quadam dementia complet. Minime vero opus esse autum, in hujus rei illustrationem latius divagari, quum mihi liceat provocare ad D. D. PRÆSIDIS probatissimam experientiam, qui ad obfirmatam luem Icorbuticam, nec non eam quæ ex impura Venere nascitur radicitus tollendam, imo ad ulcera cacheoticorum cum summa corporis lassitudine juncta fannanda, non tutius, non certius & quod majorem ægrotantibus opem tulerit remedium, præter curam emaciantem, per mensem vel duos institutam, nimirum quæ in tenuiori vieti & abstinentia a carnibus, præcipue pinguibus, motu convenienti corporis & loco potus decoctorum usu, ex lignis & radicibus temperatoribus atque aqua paratorum, interpositis idoneis laxantibus consistit, se unquam fuisse expertum, plenam nobis fidem fecit.

§. XVII.

Et certe, ut non dissimulemus veritatem, sed eam aperte & ingenue profiteamur, posset quidem quisque hominum bene & per totam vitam valere ac penitus omni sanguinis missione carere, si temperanter & moderate viveret, & pro ciborum mensura, convenienti corpus motu exerceret. Quum autem luxuriam & perditam ciborum ingluiem cum otio & desidio declinare homines nolint, ut potius saluberrima hacce remedia plures & fere omnes abhorreant

reant, utique venæ sectione opus est, qua ad nimiam va-
forum plenitudinem, quæ subinde præsens & subitum
periculum minatur tollendam, ut sunt: apoplexia, hæ-
moptysis, phrenitis, peripnevmonia, angina, febris sy-
nocha, inflammatio & spasmoidicus intellinorum do-
lor, non dari potest facilius, præsentius & efficacius re-
medium; neque minus hac multæ diuturnæ & dolori-
ficae passiones, ut rheumatismi, arthritides, phthisis,
pathemata hypochondriaco - spasmatica, calculus,
ischiadicum malum, si in corporibus copiam sanguinis
alentibus ac viribus satis constantibus convenienti
tempore & modo administretur, averti posunt quam
felicissime.

§. XVIII.

Videmus etiam frequentissime, a nimia sanguini-
nis copia, quæ minuendo solidorum elaterem, prom-
tiorem alias ac liberiorem sanguinis & humorum cir-
culum reddit tardiorum, salutares valde excretiones
per transpirationem, per alvum, per urinam, item solen-
nes & criticas sanguinis profusiones per uteri ac per ani
venas fuisse suppressas. Neque tamen hoc loco, &
hac occasione præterire & reticere possumus, quod
nonnulli, nostris presertim temporibus, efficacissimo
hoc remedio cum damno ægrotantium saepius abutan-
tur, non considerantes, insignem esse differentiam inter
plethora ad vasa, quæ nimium distenta remorantur
circulum sanguinis ac vires inter premuntur; & inter
eam, quæ a veteribus dicitur plethora ad vires, ubi
ex virium defectu positivo, atque etiam ex inopia san-
guinis

D 2

guinis fit , nouis sed potius humores ferosi incre-
scunt & non probe circulantur. Quo posteriori casu,
nimiæ & repetitæ sanguinis detractiones plus utique
vires exhauriunt , stomachum infirmant, excretiones
retardant & morbos sœpe insanabiles reddunt ; Igitur
hac ratione, optimo & maxime innocuo huic remedio
temerarie pessima fama infertur.

§. XIX.

Missa perquam utili hac materia , ad aliud ge-
nus remedii simplicissimi' , quod vulgo vilis habetur
pretii, cui tamen maximam & prorsus mirabilem ad
conservandam vitam & medendum , inexhau-
sta DEI bonitas indidit efficaciam , nos convertimus.
Et hoc est ipsa aqua communis, quæ uti omnium ani-
mantium corporum præcipuum est elementum con-
stitutivum, ita etiam summum medicamentum; cu-
jus uberiori potu, juxta locum HIPPOCRATIS ci-
tatum, ægrotantium plures, sine Medicorum ope con-
valescunt. Saluberrimum hujus autem in Medicina
ufum, antequam paulo pressius prosequamur , prin-
cipia & ingredientia illa a quibus proxime ejus in
corpus humanum pendet efficacia, paulo accuratius
examinabimus.

§. XX.

Primum autem monendum esse ducimus, nos
non omnem promiscue aquam quia magna inter
eam differentia occurrit, ad salutarem usum com-
mendare , sed eam potissimum quæ limpida, levis,
pura

pura est id non heterogeneis multis sive aliena naturae partibus e. g. terreis, salinis imprægnata & frigida, si- ve ex fontibus fluiis vel ex pluviis defumta. In hac ipsa TRIA potissimum medicam considerationem promerentur. *Primo*, humidum quod præcipuum formale & essentiale est hujus elementium. *Deinde* tenuis illud spirituosum sive potius æthereum, quod intime partibus ejus immixtum haeret. Et Denique, ipsum frigidum principium. Ab hisce utique singulis, magna & salutifera in animale corpus virtus redundat.

§. XXI.

Sine sufficienti enim aquei elementi copia, nec vitam nec sanitatem consistere, nec ullum morbum sanari posse, iis plane qui interiora nostræ haud leviter attigerunt perspicuum est. Nam natura veterum, illa vitæ conservatrix & morborum optima sanatrix, nihil aliud est quam sanguinis & humorum perennis progressivus & circularis motus, cuius beneficio, œconomia vitali amica retinentur, quæ vero aliena expelluntur; ut hac ratione, ab interitu corruptibile corpus vindicetur. Qutum autem hic ipse in orbem abiens motus per tenuissimum vasculosum animale contextum corpus, sine sufficienti liquido consistere nequeat, quam necessaria & vitæ utilis sit liquidi copia, jam constat planissime. Atque id etiam clarissime evincit experimentum, quo constat, in lacte humano quod non nisi chylus est, vel in san-

D 3

guine

guine arterioso septem partes aquei, & in sani hominis venoso, tres partes ejus ad unam partem solidæ & sicca substantiæ contineri, quod si lento calore humili facta fuerit evaporatio.

§. XXII.

Vnde manifestum euadit, liquidum, si quis sanus persistere velit, longissime superare debere solidum quod in cibis est, ne humores convenienti carentes fluxilitate inspissescant, in minimis vasculis secretoriis & excretoriis hærent atque subsistant; & hinc inde salutaribus evacuationibus suppressis, copia sanguinis & seri impuri increscens & liberam humorum circulationem impediens, diuturnas & periculi haud expertes concitet passiones, cujus generis sunt: morbus cachecticus, malum scorbuticum, arthriticum, nephriticum, neque minus hypochondriaca & hysterica pathemata, quibus quam maxime obnoxii sunt ii homines & præsertim mulieres, quæ parciori utuntur potu & desidi atque sendentariæ addictæ sunt vitæ: cum e contrario, eos qui copiosum tenuem & humidum vietum, iuscula videlicet, cerevisias valde tenues, imo ipsam aquam puram & frigidam in usu habent, ac frequentius intus herbarum temperatarum ex aqua calida utuntur, motuque ac clamore simul exercent corpus, ab omnibus fere morborum insultibus, tutos ac immunes permanere experientia plane indubia edoceamus.

§. XXIII.

§. XXIII.

Equidem nos si quid judicare possumus, nulum, sive acutus sive chronicus sit, morbum sine sufficienti & tenui aquo potu sanari posse, adeo ut huic præcipua & medicinalis virtus adscribi debeat, ingenuae afferimus ac profitemur. Nunquam cura febris, sive fit chronica intermittens, sive continua & acuta, sine largo satis aquæ, sive calidæ sive frigidæ, vel cerevisiarum tenuium aut ptisanæ potu feliciter absolvitur; modo debito tempore, ordine & mensura subministretur. Nam sine humidi copia, vehemens ille, qui carnem & vires consumit mixturamque sanguinis temperatam destruit æstus, vix ac ne vix quidem sedari potest. Neque deficiente hoc, stagnationes & obstructions, quæ maxime febrium causam constituant solvi, neque excretiones & quidem cuticularem illam, qua potissimum id quod febrem foget & concitat expellitur, recte succedere posse, res est in aprico posita. Quippe medicamenta fere omnia, febrilibus compescendis motibus a Medicis dicata, ut diaphoretica, diuretica, incidentia, laxantia, & roborantia, nullius fere effectus sunt, nisi ab humido copioso illa secundentur & promoveantur.

§. XXIV.

Ecquis est, qui sine salutiferorum fontium sive aquarum mineralium frigidorum & thermalium usu, tutius, melius & certius tollere vel minimum minuere
aut

aut levare chronicas & difficiles passiones, quibus genus humanum subinde afficitur & cruciatur, majora denique mala avertere, vel quod præcipuum est ab ejusmodi morbis, corpora ad eos disposita, vindicare suis pharmacis specificis & arcanis audeat sibiique persuasum habeat? Harum nimirum & summa aliis virtus remediis in affectibus debellandis longe superior, sanæ rationi, ductui & ordini naturæ non modo convenientissima est, sed & per tot secula firma est stabilita experientia, ut profecto derisi se dent, qui vel ex ignorantia, vel ex affectu, hanc a Sapientissimo Numine, generi humano providentissime gratis concessam medicinam flocci faciunt vel plane contemptui habent.

§. XXV.

Per opportunam nobis interea, hæc nostra, de aqua meditatio largitur occasionem, curiosam pariter ac utilem movendi questionem: utrum incomparabilis harum aquarum efficacia, eis que in visceribus terræ primario admiscentur varii generis salibus & mineralibus, an aqueo potius elemento accepta referenda sit? Nos certe tuemur posteriorem sententiam, ita tamen ut statuamus ipsam aquam ab admixtis hisce rebus, quæ utique activæ indolis sunt, majorem vim poros intimius penetrandi, & obstructiones reserandi & excretiones promovendi acquirere, quia sine sufficienti vehiculo aquo, parum admodum in dictis morbis hæc præstare possunt.

§. XXVI.

§. XXVI.

ALTERVM aquarum salutiferum ingrediens est ipsum elementum aëreo - æthereo - subtilissimum, quod intime ejus poris innatet & immersum est, quo aqua nulla, præfertim quæ recens ex fontibus deprot mitur, antequam calore ejus maxima pars effugia caret, ita tamen, ut major vel minor iplis insit quantitas. Ab hoc elemento dependet aquarum levitas, subtilitas & medicinalis poros penetrans ac roborans virtus. Quod ipsum etiam subtile ac spirituosum principium, quo acidulæ tam calidæ quam frigidæ copioso instructæ sunt, multum harum aquarum medicam virtutem adjuvat. Et quo magis aqua fœta hoc est elemento, quod maxime ex levitate & prompta evaporatione, nec non ex ingenti bullularum copia in vacuo prosilientium cognoscitur, eo salubrior est æstimanda, eo etiam aptior usibus œconomicis, in coquendis cibis, in extrahendis vegetabilium, radicum, herbarum per infusionem viribus evadit. Ad quod hoc notatum volumus: aquani, quo diutius coquatur, eo minus aptam esse ad extrahendam graram & sapidam ex herba Thee, vel fabis Coffee substantiam; & hinc statim post primam ebullitionem, optime in hunc finem adhiberi.

§. XXVII.

Afferuimus in ipso frigore aquæ lypidæ & puræ insignem ad Medicum usum residere virtutem.

E

Ve-

Veteres Medicorum HIPPOCRATES, CELSVS,
GALENVS, RASES, potionem aquæ frigidæ plurimi
mis & gravis in morbis, ut sunt ardentes & chole-
ricaæ febres, magnæ infirmitates ventriculi & intesti-
norum, dolorificæ, flatulenteæ, item quæ ex partium
nervosarum resolutione & infirmitate oriuntur pas-
siones, ut paralytes, catharri, rheumatismi, frequen-
tissimo in usu habuisse & laudabilem ejus in hisce
morbis effectum prædicasse, ex eorum quæ posteritati
reliquerunt monumentis abunde licet animadver-
tere.

§, XXVIII.

Inter plurima vero quæ extant loca, perpau-
ca saltim hic adducere placet. CELSVS lib. I. cap. 8.
eis, qui tarde concoquunt, & quorum ideo precordia in-
flantur ac qui propter ardorem aliquem, noctu sitire consue-
verunt, ante quem quiescant, duos vel tres cyathos frigidæ per
renuum fistulam bibendo, suadet. Et si D. D. PRÆSIDIS
probatisimam experientiam interponere integrum
est, is ex imbecillitate ventriculi & intestinorum labo-
rantibus, qui præcordiorum anxietates cum phlogi-
si & laßitudine, sanguinisque ebullitiones fuerunt cum
pulsu celeri & difficili respiratione passi, ante lecti in-
troitum, solam aquam frigidam optimæ notæ paula-
tim assumentam lèpius optimo cum successu ferasit.
CELSVS in præfat. meminit Medici cuiusdam CAS-
SII, qui febricanti euidam & magno siti affectio aquam
frigi-

frigidam porrexit, qua protinus eam sedavit ac somno & sudore discussit. Et HIPPOCRATES lib. Epid. VI. Sect. 4. ad refrigerandam calidam naturam, conferre dicit aquæ potum & quietem. Neque minus laudatus jam CELSVS, lib. I. c. 2. iis qui ex prava concoctione crudum sine praecordiorum dolore ructant, ex intervalllo aquam frigidam bibere & se continere commendat. GALE-NVS ad ardorem in febribus temperandam præbuit aquam frigidissimam ad satietatem; qui idem in colica quoque biliosa ejus usum non satis dilaudare potest.

§. XXIX.

Ceterum illud certissimum est, quod hydro-potæ longe melius valeant & maxime ab articulari-bus doloribus immunes degant, quam qui cerevisiis, vino & potibus inebriantibus utuntur. Id quod il-lustri testimonio D. D. PRÆSIDIS confirmare possumus, quippe qui nobis benebole communicavit, se ex aquæ puræ ac frigidæ usu & potu, valde tamen cau-to & circumspecto, per aliquot annorum spatium, in levandis & sanandis obstinatis affectionibus, quæ vix ullo remedio cedebant, longe prestantiorem vidisse effectum, quam ex aqua calida sive simplici sive in infuso usurpata; quemadmodum id superiori anno habita dissertatione, *De potus frigidi salubritate*, fusi ostendit ac demonstravit, varia quoque perutilia quæ hic merito conferri merentur monita adiecit.

E 2

§. XXX.

§. XXX.

Quemadmodum vero experientia, quæ optima veritatis medica est parens, habemus confirmatum, eos qui supra modum & quotidie fere potibus spirituosis indulgent, capitis & artuum doloribus, rheumatismis, calculo, catharro suffocativo & maxime effrenibus hæmorrhagiis esse obnoxios: ita qui ab iis potibus abstinent & tenues potionis ipsamque frigidam aquam vel vinum cum multa aqua dilutum in quotidiano usu habent, a vehementibus hisce malis immunes persistere, identidem observatione constat certissima. Possemus hujus asserti veritatem pluribus exemplis ac testimonis confirmare, si instituti & brevitatis ratio id permitteret; ast, cum plane constet D.D. PRÆSIDEM superioribus annis, ob ingentem & multiplicem ejus in præservando & morbis oppugnandis utilitatem, aquam tanquam universalem medicinam, in dissertatione peculiari non ita pridem Parisiis Gallico sermone reddita, quæ ab iis qui medicam praxin intendunt atque intelligunt legi meretur, plurimum commendasse, nos huic labori merito supercedemus.

§. XXXI.

Evidem omne frigidum naturæ humanæ, quæ temperato semper gaudet calido, ac humores valde fluxiles & tenues motibus vitalibus aptos desiderat, nervosisque pariter ac membranosis partibus solidis,

testi-

testimonio ipsius HIPPOCRATIS valde alienum & inimicum habetur; neque ullum fugiit quam subita & gravia imo funesta a largiori potus frigidi haustu subinde fuerint damna oborta: hæc tamen omnia, de imprudenti & inconsulto frigidoru[m] usu intelligenda sunt; nullum enim heroicum, nullum forte & magnæ in medendo efficaciæ remedium est, quo non possimus in perniciem corporis humani abuti. Calidum ipso teste HIPPOCRATE *Sedl. V. apb. 16.* naturæ humanæ alias admodum amicum, carnium laxationem, nervorum infirmitatem, mentis stuporem, hæmorrhagias, lipothymias quæ sunt ejus naturæ ut mortis consecutionem afferant, iis qui eo diu multumque utuntur, inducit. Nam & calido & frigido sua iuvandi & nocendi virtus constat, calidum videlicet tenues & fluxiles servat humores, partes duras & tensas emollit & laxat atque salutares movet excretiones; sed ubi jam æstu nimius est in corpore & omnia in motu & fluxilitate, vires soluit & dissipat, vimque solidorum elasticam & systalticam vitalem substrahendo valde nocet. E contrario, frigus solidis partibus, ubi ab excessivo æstu & humido earum vis elasticæ systaltica, quæ regit maxime fluida & eorum motibus salutaribus præest, nimium relaxata & soluta est, elaterem tonum ac robur restituit, intestinumque præcalidum sanguinis motum & orgasmum temperat, circumspetto nimirum tempestivo & moderato ejus

E 3

adhi-

usu; qui ubi negligitur, & vel solidis nervosisque partibus rigore & spasio affectis, vel subito & in nimis larga quantitate corpori æstuanti ac sudore diffluenti ingeritur, incrassando humores, eosque circulationi per minima vasorum ineptos reddendo, frigidum utique perniciosissimum est.

§. XXXII.

Denique iis rebus, quæ non procul quærendæ & quasi nobis domesticæ magna tamen virtute medicinali instructæ sunt, balnea quoque ipse HIPPOCRATES accenget, quorum virtus identidem ab elemento aquo, eoque vel frigido vel calido unice venit derivanda. Afficiunt haec vero quam maxime integumenta corporis cutim & qui ei substernuntur musculos, tendines, vasa ac nervos; si in justa temperie non sunt constituta, sed præter naturam nimis relaxata vel constricta: utroque enim vitio si laborant, mox totum corpus propter mutuum nexus & conspirationem partium inde male afficitur, & enim internis partibus præter naturam se habentibus, ut videre licet in febribus convulsionibus, affectibus spasmodicis, etiam externas partes & ipsam cutem ceu valde nervosam & sensilem in consensum rapi conspicimus; unde non modo laborantibus externis, sed etiam internis partibus succurri posse balneis, ratio ac naturæ ductus suadet & experientia confirmat.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Miræ & fere ineffabiles sunt utilitates, quas balnea, quibus vel inferiorum partium ut pediluvia temperata, vel superiorum nimirum capitiluvia etiam accensimus, ex aqua tartum dulci parata, in doloribus, spasmis, contracturis, omnibusve partibus frigore & rigiditate affectis recte usurpata præstant. Adeoque quam insignes & eximias vires in morbis internis gravioribus & diuturnitate molestissimis, ut sunt affectio hypochondriaca, hysterica, colica, calculosa; in deliriis quoque mania & melancholia mitigandis & curandis, balnea temperate calida exercant atque ostendant, iis, qui praxin exercent & intelligunt optime cognitum & perspectum est. Quam materiam, cum fusius olim D. D. PRÆSES persecutus fuerit in dissertatione: *de usu balnearum ex aqua dulci*, ideo lectorem eo remittimus.

§. XXXIV.

Præter balnea calida vero etiam frigida peculiarem plane in medendo promittunt efficaciam. Romanam pariter ac alias gentes balneis olim frigidis, non tam delectationis & munditiei quam sanitatis causa usas tuisse constat; quod remedium in Anglia retentum fuisse Buxtoniensia, quæ maximæ in sanandis morbis efficacie perhibentur, in primis testantur, de qua re certe doctissimi Angli FLOYERI tradatus *De usu balnearum evolvi* meretur. Prosum autem quam maxi-

maxime in affectibus paralyticis, inque malo hypochondriaco, hysterico ubi ventriculi & intestinorum tonus solutus est, in malo ischiadico, rheumatismis, artuum & capitis doloribus, hujusque generis similibus. Neque exempla defunt melancholicorum pariter ac maniacorum balneo frigido curatorum, quale de mania curata *clar. MICHELOTTVS* in M.N. C. vol. I. obs. 102. pag. 191. refert.

§. XXXV.

Suffiagatur nostræ quoque sententiæ hoc in genere antiquitas. Nam lib. II. cap. 5. CELSVS inquit: *Neque his solis, quos capitis imbecillitas torquet; usus aquæ frigidæ prodest, sed iis etiam quos assidue lippitudines, gravedines, distillationes tonsillæque male habent; his autem non caput tantum quotidie perfundendum, sed os quoque multa frigida aqua fovendum est.* Præcipueque omnibus quibus hoc utile auxilium est, eo utendum est ubi gravius cœlum austri reddiderunt. Neque prætermittendus ex eodem Autore alias de hac materia illustris locus, qui extans lib. IV. cap. 5. hic est: *vulgatissimum pessimumque stomachè vitium est resolutio, id est, cum cibis non tenax est, soletque definire ali corpus ac si tabe consumi.* *Huic generi inutilissimum balneum est.* *Lectiones, exercitationesque superioris partis necessarie;* *Et perfundi frigida atque in eadem nature, canalibus ejusdem subjicere etiam stomachum ipsum,* *Et magis etiam a scapulis, id quod contra stomachum, consistere in frigidis medicatisque fonti-*

fontibus, quales Ciliarum Sumbruinarumque sunt, salutare est. Quo loco aperte CELSVS profitetur, balneum calidum minime prodesse, ubi stomachi vis concoctrix fracta ac debilitata est, quam potius frigidum egregie excitat atque erigit.

§. XXXVI.

Paucis ut dicam meam sententiam: exerit frigidum balneum, quam maxime virtutem suam tonicam & elasticam vim motricem partium solidarum præsertim externarum, etiam ipsius stomachi atque intestinorum penitus solutam vel relaxatam restituendo, ut majori vi ac robore fluida regi & propelli per canales possint, in primis ubi eorum infirmitas ex nimia humiditate vel excessivo calore, qui soluit tonum, oborta fuerit. Certe notatu digna sunt qua hanc in rem scribit HIPPOCRATES de humid. usq. §. 6. item lib. II. de dicta §. 35. *calido balneo corpus magis perfrigeratur, post frigidum potius concalescit.* Sed haec fatis de hac materia. Possemus adhuc plura, ex ipsius HIPPOCRATIS supra citato loco, de quietis, de somni, & præter haec de lactis & ejus seri, de juscularum quoque medicatorum mira in medendo efficacia adducere, si uberiorem harum rerum evolutionem & disquisitionem, temporis pariter ac brevitatibus studium permitteret.

Err. p. 27. l. 26. vires inter, del. inter p. 28. l. 1. novis l. non is, p. 29. l. 1 est id, l. id est. p. 32. l. 7. aliis l. virtus alii. p. 33. l. 4. l. dispromittit l. 5. l. effugiat, p. 37. l. 2. l. fugit, l. ult. del. adhi. p. 38. l. 19. l. etenim, in Ep. p. ult. l. 1. pro adiutor l. adiutor.

F

CLA-

CLARISSIMO NEC NON DOCTISSIMO
DN. CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Difficilem valde intricatam atque implexam ad veritatem in disciplinis perveniendam viam esse, communs quidem sed falsa est persuasio. Nam ut veritas omnis in se & sua natura est pura, simplex, facilis & evidens: ita omnium scientiarum fundamenta ejusdem conditionis esse, si rebus intelligunt qui aeternum ex labyrintho multorum errorum, opinionum, prejudiciorumque quibus maxima hominum pars premitur emerserunt. Sique id velimus illustrare exemplis: plane coelestis, qua ad eternam ducimur felicitatem.

citatem doctrina, duobus fundamentis, quorum alterum :
intima & cum dolore juncta misericors post lapsum humanum
agnitio ; alterum : vera beneficiorum quae nobis CHRI-
STVS peperit applicatio est, absolvitur. Universa Iuris di-
sciplina, certe non alia pro fundamento habet principia,
quam quod pacta sint fide servanda, atque aequalitas in red-
dendo & accipiendo sit necessaria ; demum illud CHRI-
STI precepto stabilitum : quod tibi non vis fieri , al-
teri ne feceris. Unicus omnis generis legum scopus ac fi-
nis est salus publica & singulorum conservatio : neque
multiplex, sed una virtus legum obedientia. Difficillima,
qua vulgo creditur, numerorum & quantitatum scientia,
unice in comparatione aequalium & inaequalium atque inde
eruenda proportione consistit. Summa & divina sapientia
unico & simplicissimo metu, quod Physici intelligunt, stu-
penda phenomena & effectus in universo producit. Vale-
tuinus & secunde & aduersae præsidium, quid aliud est
quam moderatio eorum quae ad vitam tuendam sunt necessa-
ria ? Medicus dum curat morbos nihil aliud exsequitur,
quam ut motus vitales solidorum & fluidorum, si ab æ-
quilibrio discesserunt, idoneis remedis in aequalitatem &
ordinem reducat. Vides igitur Clarissime DOMINE
CANDIDATE, non adeo difficilem & perplexum esse,
sed simplicem & facilem ad scientias pervenienti aditum.
Tu ipse hoc commonstrare Tuo potes exemplo, qui ob dif-
ficilem & molestum plane morbum, sanctioris doctrina mis-
so studio, ad sacra artis nostra ante aliquot annos accessisti, atque
ingenium cum iudicio scientiarum capax dum attulisti fidelis
nostra institutione, quae obscuris omissis non nisi evidentiase-

quitur, atque etiam assidua & generosa Tua diligentia adactus,
tam egregios in theoreticis & que ac practicis consecutus es pro-
fectus, ut SVMMIS HONORIBVS in Arte nostra, una-
nimi consensu dignissimus fueris judicatus. Nihil reliqu-
um est, quam ut Divinam ulterius gratiam Tibi ex inti-
mo affectu appreces uberrimam, quo sub hujus praesidio,
multorum miserorum adversae valetudini, salutari auxilio
& consilio quam felicissime & diutissime praeesse possis. Et
uri in Te & Tuas virtutes semper propertissima fui vo-
luntate: ita nulla praeterlabetur occasio, qua deditissimum
Tibi animum etiam in absentia declarare possum. Vale, &
secunda ac perpetua semper fruere valetudine. Scripti
HALÆ SALICÆ ipsis Calend. Martii anni
AE.C. cl. I. cc. xxxi.



Ül 923

ULB Halle
004 179 358

3




SB

nur 4 Sammlungsteile

Retr. ✓

Walter Becker
Buchbinderei
Halle/Saale
Thüringer Straße 24



TIO IN AVGVR ALIS MEDICA

DE

A SIMPLICISSIMA
AE EFFICACIAE

QVAM

VINIS AVSPICIIS
EMIA FRIDERICIANA,
VLTATIS MEDICAE CONSENSV,
PRAESIDE

RICO HOFFMANNO
ICI SENIORE & h. t. DECANO

OCTORIS GRADV


TIME IMPETRANDO

Martii Anno MDCCXXXI.

Editorum disquisitioni exhibit

THEODORVS PYL
STRALSVNDENSIS.

AE MAGDEBVRGICAE
RISTIANI HILLIGERI. Acad. Typogr.



B.I.G.